

nemus; uicerunt ergo di hominesque et, id de quo uerbis 9  
ambigebatur uter populus foedus rupisset, euentus belli  
uelut aequus iudex, unde ius stabat, ei uictoriam dedit.  
Carthagini nunc Hannibal uineas turreaque admouet: 10  
Carthaginis moenia quatit ariete. Sagunti ruinae—falsus  
utinam uates sim—nostris capitibus incident, susceptum-  
que cum Saguntinis bellum habendum cum Romanis est.  
Dedemus ergo Hannibalem? dicet aliquis. Scio meam 11  
leuem esse in eo auctoritatem propter paternas inimicitias;  
sed et Hamilcarem eo perisse laetatus sum quod, si ille  
uiueret, bellum iam haberemus cum Romanis, et hunc  
iuuenem tamquam furiam facemque huius belli odi ac de-  
testor; nec dedendum solum id piaculum rupti foederis, 12  
sed si nemo deponit, deuehendum in ultimas maris ter-  
rarumque oras, ablegandum eo unde nec ad nos nomen  
famaque eius accedere neque ille sollicitare quietae ciui-  
tatis statum possit, ego ita censeo. Legatos extemplo 13  
Romam mittendos qui senatui satisfaciant, alios qui Han-  
nibali nuntient ut exercitum ab Sagunto abducat ipsum-  
que Hannibalem ex foedere Romanis dedant, tertiam le-  
gationem ad res Saguntinis reddendas decerno.' Cum 11